Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1689

Quelle:
Copyright:



IX. *fol.* 185. Collectanea varia dogmatica et moralia e PP. et *Seneca.*

X. *fol.* 206. p. 2. Enumeratio Praeceptorum Decalogi, Peccatorum capitalium, Donorum Spiritus ſancti, Sacramentorum, Operum Miſericordiae &c.

XI. *fol.* 209. Inſtitutio de Decalogo anteriore parte mutilata; incipit enim in medio Praecepti: *Non facies furtum*, his verbis: *propter immiſericordes et avaros, qui retrahunt panem ab egeno* &c.

XII. *fol.* 215. p. 2. *Vtrum fideles currentes viam ſpiritualem ad habendum celeſte brauium et fideliter agoniſantes pro corona patrie debent a mendacijs ſicut a crapula abſtinere.* Alter dixiſſet: *Quod — debeant;* ſed hic *Wicleſiſtarum* et ſequacium mos erat, certiſſima quaeque Problemati ſubjicere et ventilare. E quodam *Wicleſi* Opere decerptam eſſe hanc Quaeſtionem puto; mox enim in Fratres Mendicantes incurrit. Initium: *Nunc dicendum contra ſic. cum omne mendacium ſit peccatum* &c. Caret fine.

XIII. *fol.* 218. Rationes contra Primatum Eccleſiae Rom. et Indulgentias, e Scriptis *Wicleſi*, ut videtur. Inſcribuntur: *Vtrum eccleſia romana ſit caput vniuerſalis eccleſie, uel vniuerſalis eccleſia ſine qua non eſt ſalus.*

## CCCCXXIX.

921 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 167. 4. commode, non tamen ab eadem manu per totum ſcriptus, et rubricis diſtinctus exhibet: I. *Joh. Huſſi* Tractatum *de Eccleſia*, incipientem: *Cum quilibet viator debet fideliter credere* &c. et nobis multoties repetitum, hicque, ut alias, *ἀνώνυμον.* Accedit ad calcem Index rerum.

II. *fol.* 120. ſequitur pariter *ἀνωνύμως* Ejusdem *Quaeſtio* diſputata *contra Cruciatam Johannis* XXIII. quae habetur edit. *Opp.* 1715. T. I. p. 215. hoc initio: *Triplici re ad preſens negotium vrgeor* &c. A nobis relata alibi.

III. *fol.* 144. Rurſus absque Inſcriptione *Poſitio* illa *Friderici Epinge*, quae relata eſt et alibi, de Jure Excommunicandi, hoc initio: *Credo communionem ſanctorum* &c.

IV. *fol.* 156. absque Inſcriptione Sermo de Euchariſtia, quo contenditur: *quod homo tenetur hoc ſacramentum ſumere non ſolum ex ſtatuto eccleſie ſed etiam ex mandato domini dicentis: Hoc facite in meam commemorationem.* In illud: *Niſi manducaveritis carnem filij hominis* &c. *Joh.* 6. Incipit: *Secundum Thomam parte tertia ſumme ſue* &c. Sub finem provocat Autor ad dicta ſua *de materia de vſura et de concluſionibus doctorum de conſtantia de communione calicis;* unde fors ejus nomen elici poſſet, ſi operae pretium eſſet immorari.